

Latein

1. Dezember 2009, 8:00 Uhr

Nuntii Latini mensis Novembris 2009

Nachrichten-Rückblick auf Latein

Merkel in Congressu Americano

Angela Merkel primum caput ministrorum Germaniae habuit orationem in Congressu Civitatum Unitarum Americae utraque curia praesente. Qua oratione ei nationi gratias egit de ope, quae Germanis in natione reunienda lata erat. Talis honor, scilicet utramque curiam alloquendi, Germano uni Konrad Adenauer ante quinquaginta annos concessus erat.

Berolini festum libertatis celebratum

Berolini milia Germanorum multique hospites extranei publice invitati die nono mensis Novembris celebraverunt murum illum ante viginti annos deiectum esse. Angela Merkel cancellaria dixit illum diem inter ea, quae in Germania hac aetate facta sunt, felicissimum evenisse. Celebrationis summum fuit ruina muri actione symbolica in memoriam vocata.

Gabriel dux novus Democratarum Socialium

Sigmar Gabriel in conventu Democratarum Socialium Dresdae in urbe habito praeses novus electus est. Cuius factionis est quintus iam praeses intra hos sex annos. Democratis Socialibus clade mense Septembri accepta rursus partes adversae suscipiendae erant, postquam undecim annos administrationis rei publicae participes fuerant.

Conturbatio Opelana continuata

Opel societas autocinetica praeter opinionem non venum it. Societas enim Americana General Motors, cuius est, eam retinere ipsaque quaestuosam redigere vult. Qua re operarii Opelani timent, ne in Germania fabricae concludantur multique suorum quaestum amittant.

Factum novum ac notabile

Margot Käßmann prima est mulier, quae ecclesiae Evangelicae Germaniae praeest. Consilium ecclesiasticum hanc ecclesiae Hannoveranae episcopam principem fecit in unione ecclesiarum, quarum initium ortum est a Martin Luther. Hoc honore accepto nunc personam gerit communionis Christianorum Evangelicorum nostrae civitatis.

Munch pictor mire dilectus

Opera, quae Edvard Munch pictor e Norvegia ortus arte fecit, apud fures in deliciis esse videntur. Cuius ex operibus duo, quae scilicet magni pretii sunt, inter paucas hebdomadas Oslo in urbe furto abrepta sunt. Iam anno millesimo nongentesimo nonagesimo quarto opus eius clarissimum, Clamor quod dicitur, surreptum erat; quod furtum ubique terrarum hominum animos commoverat.

hebdomada – Woche - week

Dolor Enke mortui

Robert Enke portae custos manus pedifollicae Germaniae sibi mortem conscivit. Permulti homines ei honorem supremum praestiterunt in arena Hannoverana, ubi arca, cui corpus eius inerat, posita erat. Pompa funebri maiore athleta mortuus adhuc honoratus non est. Enke animi aegritudine affectus erat; quam aegritudinem cunctos fere homines celaverat.

Verumne Christi linteum sepulcrale?

Multi homines catholici credunt imaginem quasi negativam vultus Christi crucifixi mire in linteum sepulcrali impressam esse eo resurgente. Luigi Garlaschelli autem professor chemiae Italus putat illam reliquiam, sindonem scilicet sacram, fraude esse effectam. Eius enim exemplar fabricatus est perfectum rationibus adiumentisque adhibitis, quibus homines saeculi tertii decimi utebantur. Sindon sacra Taurini proximo anno rursus peregrinatoribus spectanda permittetur.


Sindon – feines Leinentuch – linen sheet

Taurinensis – Turiner – of Turin

Notabilia: Vandalorum regnum

Theodisce Vandalismus significat quendam furorem destructivum. At falso Vandalis crimini datur fuisse delendi cupidos. Nam inter gentium migrationem, qua Imperium Romanum occidentale corrui, ii in Africa regnum condiderunt prosperum, in quo cultu atque humanitate Romano utebantur. Id Carlsruhae expositione magnifica cognosci potest visendo digna.

Plura inuenies in interrete sub:

[Homepage des Landesmuseums Karlsruhe](#) 
Sonderausstellung über das Königreich der Vandalen

Weitere Informationen:

[Nuntii Latini mensis Novembris](#) , [5:23] 

[Lateinnachrichten November 2009](#) 

Deutsche Übersetzung

Kindernachrichten

Auctores

Gy 7 der Johann-Gutenberg-Schule in Bremerhaven
Frank Schirmer
Hannelore Zöllner

Periculum in mundo



Philip Frischkorn

Multi homines in somniis ad lunam volant. Sed nesciunt: Bacteria in mundo periculosa sunt. Nostrae copiae enim, quae impetum bacteriorum arcent, ibi invalidae sunt. Itaque astronautae ibi manere non possunt longum tempus. Qua de re homines docti iam plura cognoscere petunt.

Recitator: Philip Frischkorn

[Periculum in mundo](#), [0:28] 

Redactores optamus, ut lectoribus nostris sint natalia Christi laeta et ut bene perveniant in annum novum, quod eis bonus, faustus, felix fortunatusque sit.

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/latein/novembris100.html>